

QK. 532, 25.

XN860583 B. M. T.

L. D. B. V.

II b  
10

TUIZATIONEM DEI,  
&  
VOSSIZATIONEM  
HOMINIS,  
THEMATE PHILOLOGICO,  
Indultu Superiorum.

P R A E S I D E

M. JOHANNE CLODIO,

*Ventilandam sibi sumsit*

C A R O L U S M E T Z G E R /  
Dresdensis,

*In Auditorio Collegii Veteris,  
Ad diem 24. Martii.*

---

WITTENBERGÆ,  
Literis WENDIANIS Excudente DANIELE Schmaki/  
Acad. Typogr. A. clo loc LXXI.







# CAPUT I.

*Titulus excusatur. Compellationis species recententur. Compellatio per tertiam personam unde sit. Linguae Sanctae civilitas commendatur. Complimenta quid sint. Phraseologia Ebraea in compellan do differt à Teutonica.*

TH. I.

**T**UIZATIONES & VOSSIZATIONES utramque (quod ajunt) paginam nobis facient in praesenti. Idque ex promisso Rubri. Delicatis auribus Tullianis hæc nec scribimus nec inscribimus. Venia Barbariei alioquin deprecanda esset. Nec enim quidquam ferè nisi exquisitas Veneres spirant. Philosophis licet ὀνοματοῖν quidam Philologis? Frequentiores sunt εὐ λόγοις. Sed verò in re minus barbarâ βαρβαρίζουσι. Barbaries etiam mores respicit. Ast incompositos. Agrestes & barbaros servos, homines item naturâ & moribus barbaros ubiq; legimus pro iis, qui ad humanitatis cultum morumq; elegantiam erudit non sunt. Insulsissimus Corydon politiori sæculo est, qui hominem vel de vulgi fece tuizat. Qui majoris commatis Virum (cujusmodi Ebræis sunt יְהוָה אֱנֹשׁ Viri Nominis) Vossizat, næ is hodiernis moribus subrusticus ac impolitus audit. Ita scilicet sæculi genio est concedendum & tempori serviendum. An ejusmodi Barbarismus Moralis (liceat interim ita loqui) per Tuizationem in Deum committatur, paullò pèst discussietur. Nos Barbarismum saltem Grammaticum excusamus. Diatribæ Philologicæ non illicò respuunt methodum & terminos Philosophorum. Notionibus rotundis res succinctius & expeditius potest dari. Et tales imprimis amant Tituli & Inscriptiones.

A. 2

TH. II.

Sed quid multa? Exenterandus est Barbarismus, ut, quid in-  
fit, appareat. Frangenda est nux, si nuclei bonitas obvia debet vi-  
deri. Supponimus hīc, Compellationem unius Individui hodiē  
utcunq; fieri per Pronomen secundæ personæ, idq; vel singulare TU  
(en TULIZATIONEM!) vel plurale VOS (en VOSSIZA-  
TIONEM!). Obvium hinc est, TULIZATIONEM esse Com-  
pellationem alterius individui mediante pronomine TU factam. Ger-  
mani termino artis itidem vocant, Einen Dugen / indeq; Ein Dug-  
Bruder: VOSSIZATIONEM autem Compellationem alterius  
individui mediante Pronomine VOS factam. Nostri iterum ex-  
primunt per Iherzen. Moderna ætas ut politioris civitatis apprimè  
studiosa est: ita in compellandis honoratoribus tertiam personam  
nunquam non in ore habet. Qui barbaris cumulum addere vellet,,  
*αναλόγως* fortè diceret ILLEIZATIONEM. Qvæ unde ori-  
ginem traxerit, fusiùs inquirere nostri instituti non est. Qui info-  
lentiam & ambitionem sæculi allegant, pro se dicant. Nitori certè  
Gallico (qui alias Nostratibus non adeò displicet) natales vix debet,  
namq; is in honororum compellatione pronomen pers. II. plur.  
non fastidit. Forsan stylum Lingvæ Sanctæ qvis posset obtendere.  
Neq; enim leporis expers est genius ejus. Provoco ad inductio-  
nem sacrarum literarum. Offendes ibi Aarone iram Moysis de-  
precari verbis ad stylum modernum tantum non compositis:  
**אָלֵךְ יִחַר אֲפָאָרְנִי** Ne exardescat ira Domini mei, Ex. XXXII, 22.  
Germani dicunt: Mein Herr erzürne sich nicht: id qvod Terentio  
est: Minue vero iram Ph. II, 3. 88. qui idem iracundia ardere dixit:  
Ad. III, 2. 12. (qvod *ἐν παρέδω*) Audies Hannam apud Eli captan-  
tem benevolentiam sonare: **תְּמִצֵּן שְׁפָחָתֶךָ חֹן בְּעִינֶיךָ** Inve-  
niat ancilla tua gratiam in oculis tuis I. Sam. I, 28. Addam aliud in  
utroq; sexu: Tribules Gad & Ruben Deo suo obedientiam decla-  
raturi ajebant: **עֲבָדָךְ יִعַשׂ כַּאֲשֶׁר אָרְנִי מְצֻוָּה** Servi tui  
facient prout Dominus meus jussit, Num. XXXII, 25. Thecoitis  
Regi suo in memoriam revocatura *ἔκδικον θεὸς ὄμυσα*, (phrasim Home-  
ricā) morem aulicum observat **זְכָר־נָא הַמֶּלֶךְ אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיךְ**. Recordetur qvæso Rex Jehovam Deum tuum. II. Sam. XIV, 11. &  
id genus plura *օσα κίνις*, qvæ sanè ad modernum Germanorum  
stylum

ffylum accedere non parum videntur. Præterieram ferè aliquod ex  
Gracismo. Bagoas Eunuchus Juditham accersere jussus, simili genere  
dicendi Feminam alloquitur: μὴ ὥκνηστο η̄ παιδίσκη η̄ καλὶ αὐλὴ  
ελέγου, ne gravetur ancilla pulchra illa venire. Judith.XII, 13. qvod  
Nostrī exprimunt: Die schöne Frau wolle unbeschwert kommen.

### TH. III.

Solet ejusmodi civile dicendi genus vulgo COMPLIMENTORUM nomine venire. Vocabulo è Galliā petito. Illa enim gens, ut morum elegantia & civilitate plerisque aliis ferè palmam præripit; ita civilitatem dicendi vocat les Compliments, qvam Martialis Britannicus Completa-mendacia alicubi dixit ex allusione nominis Gallici. Noveritis qvid olim Magnus HENRICUS, dictæ Nationis Rex, cuidam ex Italia redeundi cum verborum lenociniis, responderit: Le faiseur des compliments est complimenteur. Nolo dicere Latino ore, ne exspiret Venus. Verum per accidens adhærere illam ἀταξίαν civilitati, nemo sanè ibit inficias. Fraudulentia subest pseudo-Politica, qvæ actum, in se alias indifferentem ad bonitatem vel malitiam moralem, determinat. Hæc obiter. Cæterum in allegatâ Phraseologiâ leporis Ebræi observamus nihilo minus diversitatem ab idiomate Germanico. Hoc namq; pronominum tertiam personam continuat, illa vero secundam singularem immiscet: id qvod vel ex suffixo Nomi addito, vel ex immediate seqventibus dispalescit. Unde colligimus, illos qui tertiae personæ nimis indulgent eamq; nunquam non crepant, non omnimodo reperisse, qvod pueri sibi imaginantur in Midâ. Verum, ut dixi, ILLEIZATIONEM excutere jam non sedet. Nec Epigraphæ promittit. Nos pergitus ad alia.

## CAPUT II.

*Deus in Sacris à Creaturis per Tū compellatur.  
Autor שעריו אורן de DEI Tuizatione allegatur.  
Qvoad Nomen אדרני vapulat. Ejus tamen ratio di-  
vinæ Tuizationis illustratur, additâ Epicrisi. Aliæ*

A 3

ratio-



rationes subjunguntur. PP. Dordracenorum λογομαχία  
notatur. Nomen אליהו DEI Vosfizationem pro-  
bare negatur.

TH. IV.

Ex tribus igitur illis speciebus Compellationis, quae sunt  
**TU-VOSSI-ILLEI-ZAT**. O discutiendam nobis sumsimus  
**TU-VOSSI-ZATIONEM**. Illam qvidem à parte D.E.I.,  
hanc à parte HOMINIS. Ex Διάς δέ χωρεσθα. Inqviremus  
autem in primis in causam hujus TU-ZATIONIS. Ubi suppo-  
nimus ut notissimum, Deum ab hominibus non tantum olim in  
sacris, verum etiam adhuc hodiè nobis compellari per pronomen  
2. pers. TU. Ex V. T. provoco ad Dialogos, qui Moysi cum Deo  
intercesserunt פָּנָה אֶל פָּנָה (Num. XII. 8) instar amicorum  
familiariter secum invicem colloquentium. Ex N. T. vel ad solam  
Dominicam precum formulam. Nec memini me in sacris alicubi  
observare locum, quo Deus O. M. à creaturâ per pronomen plur. 2.  
pers. compelletur. NB. à creaturâ. Nam Deum de seipso pluraliter  
locutum esse, ad pluralitatem personarum denotandam, vel tironi-  
bus notum. Unicum illud נְעִשֵּׂר allegabo ex commate XXVI.  
Breschis. Ut adeò de more hujus Tuizationis dubium non sit, nisi  
fortè quis urgere velit differentiam idiotismi lingvarum, quod à  
more Tuzandi Ebraico vel Græco non illico sit collendum ad  
modum Tuzandi-Germanicum, quippe quod hic pro objecto habeat  
ut plurimum subjectos nostræ potestati vel cujuscunq; vilioris  
conditionis homunciones. Cui dubio inferius satisfactionem pro-  
mittimus Thes. VII.

TH. V.

Nos ad evolutionem causæ pergimus: quæ in nobis viam præ-  
vit facemq; præluxit non pœnitendam Porta illa Lucis (אורה שער)  
מרח שחו ית' מכוֹנָה בְּלַשׁן (sic enim dico) ita autem illa: (sic enim  
legendum pro אֲתָה Sphalmate typographicō & re-  
 sponsionem illico subdit: לְבָרוֹת כְּמוֹ מִרְחָה אֲדֻנִי  
לְפִי שְׁחוּתָה מִכְפְּנִים וְאַנוּ נְמַצֵּאת qvæ ex versione Josephi de Voisin,  
Burdigalensis, ita sonant: Quare Ichoya benedictus denominatur TU?

qvi



qvia nimirum ad seipsum intrinsecè refertur, non ad creaturas, qvem  
 admodum attributum D'OMINUS lib. I. Theol. Judæor. c. IIIX.  
 de attribut. Dei absol. & relat. Hæc Autor אורה שער: qvæ non  
 minus subtilitatem, qvam brevitatem redolent. Fundamenti loco  
 supponit vulgatam Attributorum Dei divisionem, qvâ alia dicun-  
 tur esse Intrinseca, alia Extrinseca, de qvibus ipse R. Joseph. Albo  
 lib. II. עקרין cap. XXIV. ita: מני מני התאריות שיתואר  
**בשם השם והם התאריות אשר מוצר עצמו והתאריות**  
 duo sunt genera attributorum, qvibus deno-  
 minatur Deus benedictus, nimirum alia à parte sui ipsius, alia à parte  
 operationum ejus. Et secundum hanc distinctionem, etiam æstimat  
 Autor P. L. nomina DEI יהוה & אָדָנִי, illud ad Intrinseca refe-  
 rens, hoc ad Extrinseca. De cujus אָדָנִי eqvidem nunc  
 disputare supersedeo. Nam si dicendum quod res est, utrumque  
 geminam habet notionem, ab intra & ab extra. Ut enim  
 יהוה non solum ab intra est אֲלֹהֵים Essentiam in se, à se & per se  
 habens juxta Exod. III, 14. Verum etiam Essentiator omnium re-  
 rum extra se: Sic אָדָנִי non saltem est basis & fulcrum (אָדָן)  
 illud, in quo omnes creature צְבָא הָאֱלֹהִים נִבְנָה נָבָעַ אֶלָּיו Act. XVII, 28.  
 Sed etiam sui ipsius basis, id est, Ens firmissimum, immutabile ac  
 æternum: unde אָדָנִי in sacris non minus compellari per TU quam  
 יהוה, ex inductione patet. Vid. Ps. CIX, 21. CXXX, 2. Ut adeò  
 frustra sit Autor P. L. allegatus cum istoc postulato, de nomine  
 אָדָנִי.

#### T.H. VI.

Videbimus tamen Medium concludendi, quo Rabbi ille uititur  
 pro TUIZATIONE DEI O. M. Includemus rem majoris per-  
 spicuitatis caussâ argumento: Q. ad seipsum intrinsecè est, nec ad  
 aliud extra se refertur, illud omnem pluralitatem, etiam in com-  
 pellando, respuere videtur. Atqui Deus ad seipsum intrinsecè est  
 nec ad aliud extra se refertur, E. Deus omnem pluralitatem, etiam  
 in compellando, respuere videtur. In probatione faciemus ὑπέρεγγι  
 πτέρεγγι. Minor vel ex Metaphysicâ & Pneumaticâ constat. Nam  
 Deus (יהוה) omnes creaturest antecessit, ipsumque etiam decre-  
 tum de rebus creandis (cogimur enim ita per prius & posterius de  
 signis rationis divinæ loqui ob inadæquationem intellectus) i. e. ab  
 æterno



eterno habuit in se ipso essentiam absolutissimam nec ad ullum ens extra se ( neq; enim ullum erat ) relatam. Facit huc qvod Philo Judæus lib. de Nomin. mutat. habet: Τὸν ἦν τὸν δῆμον ψήσας πο. Autò γδ̄ εἰσιτε πληρεῖς καὶ αὐτὸν εἴσιτε ικανούς καὶ περὶ τὴς τέλους μηδέσεως καὶ μετὰ τὴν γένεσιν τὸν παντὸν τὸν ὄμοιόν. Ens ( qui est ) utens , non refertur ad aliud, ipsum enim seipso plenum est a se ipso sufficiens , Et tam ante quam post omnium productionem in eodem statu perseverans. Major ulterius potest confirmari: Q. infert pluralitatem ex respectu ad aliud ejusque fundamento resultantem , illud Enti absoluto , qvod ad aliud extra se non refertur , repugnat. Atq; Vossizatio infert pluralitatem ex respectu ad aliud ejusque fundamento resultantem . E. Vossizatio Enti absoluto , qvod ad aliud extra se non refertur , repugnat. Minor hujus Prosylogismi probatur in fine Thes. XI. sive enim Excellentia assumatur, sive perfectionum multitudo, Relatio ejusq; fundamentum infertur. Posset etiam addi argumentum ex Compositionis imperfectione : Q. fundatur in compositione reali , id Deo repugnat. At Vossizatio fundatur in Compositione reali , E. Vossizatio Deo repugnat. Maj. est αὐτὸς ex summâ DEI simplicitate , quæ omnem compositionem , etiam rationis ratiocinatæ , si cum imperfectione sit conjuncta , nondum realem , respuit. Min. itidem inferius l. c. dabitur.

## TH. VII.

Hæc ipsa sunt , quæ de nostra materia disputat Autor citati lib. & quanquam satis subtiliter id dederit , neutiquam tamen sufficiens esse videtur. Nolo κράμψις δίσερφον apponere. Quam enim de τῷ אֱלֹהִים & יְהוָה foveat hypothesin , discussimus supra Thes. V. Addo: Deum precibus compellandum venire sub notiōnibus Misericordis , Gratiōsi , Longanimi & Benigni. At ista attributa דְּחֻזָּת חַנּוֹן אֶרְךָ אֲפִיס וּרְבָּחֵס Exod. XXXIV , 6. ) teste ipso R. Joseph. Albo. l. c. עֲקָרִים , c. XXIV. sunt extrinseca Deo. Plura non movebo. Fortè plus sapit subtilitatem. Qui lingvæ genium eiusque commodiorem usum allegant , illi profectò πολὺ περὶ διόνυσον. Ebraismus alioquin simplicitatem styli amat præ cæteris. Græcam & Latinam Tuizationibus uti indifferenter , communis est. Nec obstat , qvod superius Thes. IV. urgebatur , cuique lingvæ esse suum idiotismum , ut adeo à more Tuizandi promiscuo in O-



in Oriente, Græcia & Latio, non illicò sit colligendum ad morem  
in Germania. Nam Resp. (α) Esto: à specialium proprietate ad  
generalium affinitatem & convenientiam negandam N. V. C. (β)  
Subjectos & plebejos alios Tuizare, honoratores Vosfizare, qvo edicto  
jubemur? Quid si Tibi demonstrarem, ejusmodi Vosfizatiōnes esse  
signum imperfectionis? Sed de his infra pluribus.

T H. IX.

Adhuc una ratio est addenda, eaqve, nisi me fallit animus,  
probabilissima. Liberrimum scilicet Dei O. M. arbitrium ac Vo-  
luntas. Utrum ad essentiæ suæ unitatem (sicut τῷ אלהים perso-  
narum in una eademque singularisima essentia pluralitatem, licet  
indeterminatè saltem, significare voluit) digitum intenderit, an titu-  
lorum humanorum luxuriem suo exemplo cohibere voluerit, præ-  
cisè eqvidem non dixerim. Cur enim, qvod Deus jussit, non exfo-  
qvamur? Ut proinde vana & satis frigida fuerit curiositas Collo-  
quitorum in Synodo Dordracenâ, qvæ cerebrum Reformatorum  
fregisse fertur A. c. 1619. d. XXIII. Novembr. dum circa voces  
illas Du & Ghy secum convenire non potuerunt, aliis Deum per  
Du Gott / aliis per Ghy Gott compellandum censentibus. Frisios  
maluisse Du / Hollandos autem, Seelandos & Ultrajectinos Ghy,  
prætulisse, alios τῷ Du / ut dialecto suæ incognitura repudiasse  
τῷ Ghy / pro singulari venditasse, &c. ex Remonstrantibus Non-  
Nemo testatur ut ἀνθρώπος testis. Videatur si placet, in Epist. Eccle-  
siast. f. 314. seq. qvid, qvæso, aliud egerunt, nisi qvod nodum in scirpo  
qvæsiverunt? Numen benignissimum non tam à nobis compellatur  
per TU, qvam compellari ipsummet voluit. Cur ergò in simpulo  
fluctus excitamus?

T H. IX.

Posset forsitan adhuc objici vexatissimum illud Nomen Dei  
הָאֱלֹהִים qvod ceu plurale de uno dicatur ἕνοχῆς χάριν. Ita  
enim Judæi communiter. R. Lipmannus in ספר נצחון super  
זהטעם כי כן רוך מלכוּת וטראום לכנותם אלהים n. i. f. 8. Ratio est, (qvod plurale  
משום חסיבותם בלאשון רבים  
I. c. de uno dicatur) qvia sic est mos Regum & Principum, cognomi-  
nare se propter dignitatem suam numero Plurali. Ante hunc R.  
Aben-Esra ad Comma XXVI. Breschis. ככבוד לשון לוען שיאמר  
הקטון לנכות הגרוּל לשון רבים ובלשון ישMAIL רוח  
כבוד B

כבר שירבר הנרוּלָן כמו המלך בלשון רבינט ובלשון אקראי  
 דרך כבוד לומר הנרוּלָן לשון רבינט:  
 Quemadmodum bono-  
 rificum est in lingua vernacula (Hispanicâ,) ut alloquatur inferior  
 praesentem Magnatem (Ita loqui fas est) numero plurali & in lingua  
 Ismaëlitica (Arabicâ) ratio honoris postulat, ut loquatur Magnas  
 instar Regis numero Pluralis. Sic in lingua Sanctâ consuetudo honoris  
 est, alloqui Magnatem numero plurali. Hactenus ille. Prætereo  
 Raschium cum reliquis: conveniunt enim hic Rabbini velut in  
 velabro Olearii. Verum Resp. (α) τὸ οὐρανὸν εἶχον χάριν de  
 uno dici, petit τὸν δέκατον. Nos & terminazione & significatione  
 dicimus plurale. (β) Reges vel Principes in individuis de se loqui  
 Pluraliter, vel ab aliis Pluraliter compellari ut individua privative,  
 ex sacris demonstretur, non ex Hispanismo vel Arabismo. (γ) τὸ  
 οὐρανὸν esse nomen Domini falsò supponitur. Inqvis: τὸν οὐρανὸν  
 interdum esse nomen personale (quod refertur Ps. XLV, 8: Hos. I, 7.  
 &c.) quo sensu acceptâ voce si Deus compelletur, unam personam  
 pluraliter compellari ajunt. Resp. (α) à nomine plurali distribu-  
 tivo ad Vossizationem inferendam N. V. C. (β) A positione conno-  
 tationis ad negationem notationis N. V. C. τὸν οὐρανὸν vero Deo  
 applicatum in sacris vel plures unâ personâ notat, vel fâltem unâ  
 notata plures connotat. Sed isthæc prolixius heic perseqvi non  
 licet. Hæc interim de TUIZATIONE DEI dicta sunt.

## CAPUT III.

Compellatio Magnatum per VOS unde sit.  
 Compellatio Parentum à Liberis per TLL. Vossiza-  
 tionis humanae ratio. Compositio est nomen imper-  
 fectionis. Locus Ijobi XIIIX, 2, 3. excutitur. Erasmi  
 judicium de Vossizationibus strictim adducitur.

### TU. X.

Succeedit VOSSIZATIO eaque ex parte HOMINIS.  
 Hujus indaganda tum origo, unde natum fuerit, ut homo indivi-  
 dus pluraliter compelletur; tum fundamentum, quod nōs VOS-  
 SIZAN-

SIZAND Initatur. Consuetudo Magnates Vossizandi unde sit,  
fortè explicatu adeo difficile non est. Magistratus de se in plurali  
loqui, in aprico est. Id an à Deo hauserint, dispiciendum esset.  
SAM. MARESIUS in Hydra Socinis. Expugn. tom. I. c. X. ubi  
disputat de Nominib. Dei plur. Num. inter alia etiam investigat ra-  
tionem Nominum בָּעֵל ו אֲדֹנִי & בָּעֵל ו אֲדֹנִי, cur illis singuli homines  
compellentur; & ait: *Mimesis quædam est cultus divini translati*  
*ad civitem.* Nec enim transire id Plurale nomen ab hominibus ad  
Deum, sed potius à Deo ad homines. Ita ille. Neutiquam ἀλό-  
γως. Ex quo enim Deus Magistratus nomine אלְהִי ipsem  
compellavit, (Ps. LXXXII, 6.) Imperatoribus titulus sacra Cæsareæ  
Majestatis fuit tributus, largitiones eorum sacra, Oracula item  
sacra audierunt, translati ἀναλόγως epithetis Dei in Imperatores  
& quidem ad majorem cultum Principibus exhibendum. Quid  
ergo mirum, si occasione hujus nominis אלְהִי homines singuli  
cultu & veneratione digni בָּעֵל ו אֲדֹנִי salutati fuerunt  
in plurali? Licet (quod fateor) denominatio Dei per אלְהִי  
aliam specialem includat rationem, quam supra Th. II. & IX. de-  
dimus. Agnoscit iterum laudatus Maresius I. c. Nec enim, in-  
quiens, à more hominum honorandorum nomine Plurali desumptum  
fuit apud Ebraeos, quod Deo hoc nomen pluale tribustur, sed potius è  
contrario id moris inter homines obtinet ex eo, quod ipse Deus prior &  
speciali de causâ nomine Plurali insigniretur. Hæc ille. Sed redi-  
mus ad Magistratus. Si igitur conjecturis aliquid dandum, videtur  
nobis, Natales hujus VOSSIZATIONIS deberi Magistratum  
Rescriptis, quæ posteaquam pluraliter concipi cœperunt & quidem  
eo fine, ut sc. ex Lege Regiâ totius populi personam sustinere velse  
non privato arbitrio, verum ex sententia communi & judicio Proce-  
gium ac Consiliariorum (quos inde Parium & Comitum titulo ap-  
pellarunt, quasi adsciti essent in participium & consortium Majesta-  
tis & Imperii, censente Maresio) hæc statuere significant, subditâ  
dein ansam acceperunt, non solum personis Magistratum gerenti-  
bus pronomen plur. reddere, sed & quosvis honoratores plurali-  
ter compellare. Et hæc etiam videtur esse ratio, quæ Non-nulos  
anovet, ut improbent morem Liberorum compellandi Parentes  
secunda persona singulari, quod tamen multis in locis Germania-

fieri assolet. Addunt, honori enim parentum & autoritati, dum  
hoc fiat, multum decidere. Qvod eqvidem in hypothesi verum, in  
thesi autem minus firmum esse videtur.

TH. X.

Fundamentum est investigandum. Superius Thes. VI. diximus,  
**V OSS I Z A T I O N E M** inferre aliquam pluralitatem, ex respectu  
ad aliud ejusque fundamento resultantem. Qvæ qualis sit à parte  
hominum, nunc recto videndum ordine. Scilicet Vossizationis  
notionem accommodant plerumque illis, qui sunt honoratores.  
Nam de hodierno sæculo; qyo etiam **V OSS I Z A T I O N E S** ob-  
solescent ac in desuetudinem abeunt; nolo dicere. Fundamentum  
honoris vel inadæqvatum ( quamcunque eminentiam ) vel adæ-  
qvatum ( Virtutem ) esse, ex Ethicis heic supponimus. Hinc resul-  
tare videtur titulus Vossizationis. Cum enim fundamentum sit mul-  
tiplex, quippe ubi occurrit multitudo perfectionum, axiomatum,  
officiorum, virtutum; aliarumque ἐξοχῶν οὐκ ὑπερέξοχῶν, excel-  
lentiarum, eminentiarum & supereminentiarum, inconveniens  
existimarent, ens tot tantisque ἐξοχαῖς constans, simplici com-  
pellare voce, sed potius respectum illum multiplicem vel allocu-  
tione exprimi voluerunt. Nec obstat illis infinita DEI perfectio,  
qvæ in attributorum multiplicitate conspicitur: Qvod enim illa  
non fundet pluralitatem in Compellando, fieri ajunt ob distinctio-  
nem, qvæ saltim sit rationis ratiocinatæ, ubi contrà in homine per-  
fectionum illarum à subjecto & inter se realis detur distinctio.  
Verum enim verò an pluralitas Exochica illicè fundet pluralitatem  
compellativam ( liceat interim ita loqui ) μέγα λίαν αἰνμα. Sed  
fac. Qvis qvæso non videt, hâc ratione Vossizationem fieri argu-  
mentum imperfectionis. Probo. Compositio est nomen multi-  
plicis imperfectionis. Ratio, qvia importat dependentiam ex-  
trinsecam ab Efficiente & intrinsecam, tum à parte componen-  
tium inter se, tum à parte compositi à componentibus depen-  
dentiis. De alteratione, mutabilitate & consequenti corruptibili-  
tate, qvam infert, non dicam. Inqvis: Compositionem ( in genere  
corporum scil. ) inferre perfectionem. Mixta esse nobiliora Ele-  
mentis. Resp. Esto: ab ordine Entium ad classem Corporum N. V.  
C Nobis homo est objectum comparatum cum Deo. Quid ergo  
ibi vult homo in genere corporum? Deus est ens. Instas: Hominem  
tamen

tamen in genere corporum posse Vossizari ob multitudinem perfectionū subjectivē inhārentium: quod sufficiat. Resp. à perfectione corporis compositi, ad denominationem pluralis numeri N. V. C.

TH. XII.

Sunt autem qui VOSSIZATIONIS fundamentum ex Ebraismo exculpere laborant. Locum Bagoæ superius allegatum nolo repeterem. Etiam si enim Germanicè pluraliter sonet, Græcus tamen, qui ibi est authenticus, illeizat, quod ostendimus Th. II. sub fin. Palmarium nonnullis esse videntur argumentum illa Bildadi Sæchitæ verba apud Ijobum: עַד אָנוֹת תְּשִׁימֹן קָנֵצִי לְמַלְיָן בְּעִינִיכֶם תְּבִינוּ וְאַחֲרַנְרֶבֶר מְרוֹעַ נְחַשְׁבָנָנו כְּכַהֲמָדָן נְסִמְנוּ בְּעִינִיכֶם Cap. XVIII, 2, 3. unde ita explicant: *Quousq; tandem pones* (i. e. tu Ijob pones) *fines verbis?* intelligatis (i. e. tu Ijob intelligas) *et postea loquamsur.* *Qvare reputabimur sicut bestia?* *Sordebitus in orulis vestris?* (i. e. tuis, ô Ijob?) Nec sine probabilitate, ut videtur primâ fronte; quippe pro folius Iobi compellatione militare videntur verba. Commat. IV. immediate seqq. quæ ex illorum versione ita sonant: *An tu rumpes animam præ ira?* Meretur locus ut paullò diutius illi immoremur. Nec falcem mittemus in messem Theologicam, in agro Philologicō constituti. Torsit ille Interpretes vel maximè. Nós strictim saltē recensebimus sententias. Sunt qui putant Bildadum compellasse Ijobum cum Adfessoribus aliis, à parte ejus stantibus. Alii introducunt Bildadum alloquenterem collegas & socios suos per ἀναοἰωσιν Rheticam. Alii volunt Bildadum includere alios quoscunq; Iobi sermones approbantes: quā in re si quicquam statuendum esset, medium præferrem reliquis, cum & רְמַבֵּן & R. Abrahām Peritsol non parum huic faveant. Ex Christianis Interpretibus nolo allegare Mercerum & Coccejum, quorum posterior exserte χῆμα Communicationis in duobus illis versibus adserit: *Nam ut honoris caussā Ijobum in pluri compeller, nihil est.* Deinde *LO QVAM U R* Communicationem aperte arguit, sunt verba ejus Comment. in h. l. Sed prodeat in medium Dn. D. Schmid in nupero suo super Ijobum Comentario, qui postquam suam exposuerat mentem, quod Bildadus cum sociis suis Eliphazo & Zophare loqvatur & nihilominus eos secum in prima persona includat, elegantissimè οὐδεὶς verba textus:

O socij mei, Eliphaz & Zophar, quando tandem incipietis interrumpere sermones Ijab: molestos, interpellando ita, ut finem cogatur vel invitus imponere, nec tam prolixè garrire possit? quam diu attenditis cum tantâ patientia loquenti, ita ut ego & vos non prius loquamur, quam ille, quantum velit, elocutus sit, & tum demum loquamur, quando ille finiendo nobis permiserit? meum consilium hoc foret, ut interpellaremus sermonem loquentis, atq; sic cogeremus finire, & nos potius audire. Rationem etiam hujus mei consilij habeo, quia me & vos ille tantum in suis sermonibus tractat sicut bestias & homines immundos. Ergo ne vos pati potestis tamdiu, ut iste faciat in oculis vestris, in conspectu vestro, sine omni interpellatione? Haec ille. Hinc Ebraismum subauditum supplet per W. h. m. עַד אֶנְרֵךְ שָׁתְשִׁים וּמִן עַד אֶנְרֵךְ שְׁתְּבִינָה (se extendet tempus) ut tandem fines ponatis sermonib; (Ijobi) Nec obstat quod erit (servabitis hunc morem) ut attendatis &c. Ut enim בְּעִנְכָּבָד Nam & hoc in Bildadi socios quadrat. Ut enim iterum laudatus Schmidius observat, satis Ebraicum est, in oculis alius cuius, pro in conspectu alicujus,idente & spectante aliquo atque audiente l.c. ut sensus sit: idque vobis hisce vestris oculis cernentibus, & hisce vestris auribus audientibus, o collegæ & amici mei, estne hoc vobis ferendum? Inquis: probabilius esse ex præcedentibus נְחַשְׁבָּנוּ & נְטַמְּנוּ dicturum fuisse Bildadum in oculis nostris, i.e. Vor unsern sichtlichen Augen und Ohren. Resp. Privativè loquitur non sine emphasi. Videtur hanc ratione axioma quoddam Collegis præ se vindicare, ut ex illorum, ceu priorum & posteriorum despicienciâ, eò vehementius incendium iræ contra Ijobum exsufflet.

### TH. XIII.

Quicquid tamen hujus sit, si modò objectum Compellationis Bildadicum sit cumulativum, sive alloqvatur Ijobum cum Adsesoribus, sive aliis, perinde nobis erit in præsenti materiâ. Neque enim sic Vosfizatio unius Individui inde excupetur. Nec quicquam pro illius Patronis hanc faciunt verba Commat. IV. immediate seq. contra Ijobum ὡμολογησθως directa. Namque ( $\alpha$ ) in fratribus nullibi exprimitur secunda persona. Ita enim verba sonantur נְפָשׁוֹ בְּאָפָן טְרֵפָה qvæ tantum absunt à 2. pers. ut potius tertia tironi obvia sit, ita nuditè spectata. ( $\beta$ , Esto tamen, Ellipticam locutionem

tionem esse supplendam quo ad sensum per **לֵאמֹן** **לְהַנּוּ** iudice  
Dn. Schmidio, h. m. *Tu qui es homo discerpens animam suam  
in ira sua, num quid propter te &c.* Dico tamen ( $\gamma$ ) ab identitate  
capitis ad identitatem subjecti N. V. C. Duob. Commatis prioribus  
Bildadus circumscriptis Exordium, in tertio ( numero enim ratione  
Responsionis ) ipsam Ijobi Confutationem ingreditur. Hinc ( $\delta$ ) à  
subjecto compellationis in Exordio per Apostrophen quasi facto, ad  
identitatem subjecti in Tractatione N. V. C. Prius sunt Bildadi col-  
legæ vel si mavis, Ijob⁹ cumulative, posterius Ijob⁹ privative spectat⁹.  
Dicis: LXXviralis Versio militat pro Ijobo privative considerato. Ita  
etimilla: μέχετιν Θεόν πάνταν; Πάλιχσε, ἡρα καὶ αὐτοὶ λαλήσω μέν, quo-  
usq; non cessabis, (θ) Ijob desiste ut *E nobis sit loquendi spatium.* Et mox  
vers. seq. *Εὐώπιον σὺ κομμέτε.* Resp. ( $\alpha$ ) Versio manet Versio, i.e. nihil  
præjudicat Authenticae ( $\beta$ ) LXX non semel cæspitarunt in literis,  
quidni in sensu exprimendo? ( $\gamma$ ) Versioni opponimus Versiones.  
Pluralem retinet Targum Syrus & Arabs, quorum μεταφράστες, ob  
characterum penuriam omittere cogimur. B. Lutheri versio pro  
plurali cuivis prostat. Nec abnuunt Belgæ, Hoe lange ist/dat ghy-  
Iteden een eynde van Woorden sult maken? e. q. s. Et in Notis ibid.  
sententias, non nisi plura Individua adstruentes, recensent ac com-  
probant.

#### TH. XI V.

Quis non videt hinc, merum esse κρησθύγετον, si quis Vossi-  
zationem ex l. c. querere vellet. Nisi firmius ex Ebraismo detum  
exemplum, vacillabit. Nos ceu usu & consuetudine introductam  
eam agnoscimus, quæ tamen non ubivis placet Eruditis. Certè  
judiosus Vir ERASMUS petulanti splene cachinnatur & ejusmodi  
VOSSIZATIONES plus quam Satyrico perfundit acetō in de  
Consc. Epist. sub peculiari Rubricâ: *De consuetudine unum mul-  
titudinis numero compellandi.* Diceat strictim istius discursus  
flores saltem quosdam decerpere. Traducit consuetudinem illam  
nomine *insulfissimæ itemq; ineptiarum*, quæ subolescentibus bonis literis  
suā etate magna ex parte obsoleverit. Vossizatoribus, quorum non  
paucos super esse ait, qui objiciant: *Quid tu me tuissas, tuissa famu-  
los tuos, ego sum & te & tuis omnibus melior;* non sine bile saleque  
Satyrico respondet: *Quid ais monstrum hominis? Tu sic te appellari  
digna-*



10

QK  
Tf  
10

id dignaberis, quomodo olim Reges suos appellabant parasiti? quo-  
modo summos orbis Monarchas olim affabantur libertini, aut de plebe  
certo quilibet? Denig, quomodo tu ipse Deum O. M. compellas? Cur  
non ut unum alloqvar, cum unum videā, etiam si Polypheo major esset?  
An ideo non est mare Oceanus, quod vastè patet? Adeò, qui vix sunt  
homines, iis non satis est, si unus hominis loco ducam? Pergit, perinde  
hoc esse, ac si non unum hominem sed Hecaten quandam biformem  
alloqvamur. Cur enim distincti sunt numeri, inquit, Grammaticis,  
nisi ut utamur? Sic ille. Deinde etiam iis respondet, qui honorem  
personis debitum prætendere solent. Si honorificum est, ait, si quis  
dicat Marcolpho aut Episcopo: Gratulor vobis Dn. Marcolphe, Dn.  
Episcope, cur non item honorificum: Gratulor vobis Dnn. Marcolphis  
aut Dns. Episcopis? Cur editius non respondet sacrifico: Et cum  
spiritu vestro &c. Mox probat illam Vossizationem esse barbaram  
& solœcam, indeq; concludit, Ridiculum esse honorem, quem præstet  
Solæcismus. Interserit lepidam historiolam de Candidato quodam  
Ministerii, qui ambiendo Sacerdotium quoddam ita compellavit  
Episcopum: Salve reverende Præsul; quæ ipsa Tuizatio homini anti-  
qvæ & literaturæ & fidei & sermonis fuerit obstaculo, nam Præsulem  
hac styli simplicitate offensum, Sacerdotium in disertiorum trans-  
tulisse, eum sc. qui quadruplicato solæcismo humanissimas Reveren-  
tias Dominorum Domini eructaverit. Porrò etiam exceptionem quan-  
dam solvit. Ait enim, posse quempiam opponere: Scopas se esse  
digniores quippe quas unas nos nihilominus pluraliter alloqui so-  
leremus. Et satis satyrice: Non invidendum esse, replicat, honorem  
istis, quem cum scopis, quisquiliis, ericis, apinisq; velint in Vossizationib;  
babere communem. Denique illis, qui injuriam Tuizatione sibi  
factam putent, consilium dat, iterum tamen acetō Satyrico perfu-  
sum: Iis verò, inquiens, qui injuriam Tuissatione illatam conco-  
quere non possunt, svasor sum, talione utantur, ut ipsi singuli singulariter  
appellati, vicissim binos aut ternos singulare voce convenient, salve  
tamen jure Apostoli Pauli, hanc contumeliam vindicandi:

Nos Abbas, dicimus tibi,

Paule, &c.

T A N T U M.



**FarbKarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

QK. 532, 25. X 1860583 B. M. T.  
Q. D. B. V.  
**TUIZATIONEM DELI,  
&  
VOSSIZATIONEM  
HOMINIS,  
THEMATE PHILOGICO,  
Indultu Superiorum.**  
*P RÆ S I D E*  
**M. JOHANNE CLODIO,**

*Ventilandam sibi sumsit*

**CAROLUS METZGER,**  
Dresdensis,

*In Auditorio Collegii Veteris,  
Ad diem 24. Martii.*

---

*WITTENBERGÆ,  
Literis WENDIANIS Excudente DANIELE Schmack/  
Acad. Typogr. A. clo loc LXXI.*

